ROMA VETVS EXQVILINIS NIVIBVS EXPIATA

SIVE

DE PROFANIS DIIS IN VRBE ROMA NIVEVS VIRGINIS TRIVMPHVS

CARMINE DICTVS

IN ECCLESIA S. MARIÆ IN CAMPITELLO

À

IO. FRANCISCO BRITIO I. V. D.
Congregationis B. Mariæ ad Niues Sodali.

Ad Eminentiſſimum & Reuerendiſs. Principem

CAROLVM ROBERTVM

S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ. Typis Michaelis Herculis. M.DC.LXXII.

Superiorum permiſſu.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
CAROLO
S. R. E. CARDINALI
ROBERTO
IO. FRANCISCVS BRITIVS F. P.

Virgineum per Exquilinas Niues de Profanis Reginæ Vrbis Numinibus Triumphum decantandum audacior Muſa ſuſcepit, E.P. Verùm metuit, nę dum alienæ victoriæ epinicium modulatur, ſuis ipſa cladibus epicedium canere cogatur. Arguti ſſimum quippe Poetarum auribus ſibi identidem inclamantem audit:

Neſcis, heu neſcis, Dominæ faſtidia Romæ
Crede mihi, nimium Martia turba ſapit.

Patronum idcirò quærit: at fortiſſimum, ac benigniſſimum,

qui

qui & Ariſtarchorum impetus repellere, & Poetæ peccatis ignoſcere libens velit. At quid *Leone fortius*? Quid *Sydere benignius*? Ad Leones igitur Tuos confugio: Sydera Tua imploro: E. P. Marianæ Niues, quarum triumphum expono, ſub Leone genitæ, ſub eodem ab æſtiuis caloribus tutiſſimum in Exquilijs Aſylum inuenere. Quare nonniſi impietatis damnandus mihi videtur Banaias ille, qui, vt in

Paralip. 1. 11. Iſraeliticorum Regum Annalibus legimus, *deſcendit, & interfecit Leonem in media ciſterna tempore niuis*. Sed veniam homini demus, ſi Niuis tempore Leonem necauit; non enim cuilibet Leoni cum niuibus affinitas intercedit, ſed cæleſti tantummodò, ac Syderibus ornato. Huiuſmodi ſcilicet Tui ſunt Leones E. P. Quamobrem certiſſimum meis Niuibus ab illis præſidium mihi polliceor, idque eò magis, quò Tu ipſe, cùm nondum Purpuratus eſſes, inter Marianarum Niuium Sodales candidatus apparuiſti. Vale.

ROMA

Google

ROMA VETVS EXQVILINIS NIVIBVS EXPIATA:

CARMEN.

BELLA triumphato canimus cæleſtia Dite
Adſpirent ſacro victricia Numina Vati.
Non hìc fulminea deiectos morte Gygantes,
Et Iouis imperio domitos, pulſóſq; ſub Orcum
Terrigenas, Superis bello iam penè ſubactis,
Iupiter ipſe mihi, mihi cætera turba Deorum
Virgineo canitur NIVEOque ſubacta triumpho
Vrbs tanto luſtrata malo, luſtratus & Orbis.
Iam pia Tartareos late deuicerat hoſtes
Relligio, poſtquam ſuperata è morte reuixit
Chriſtus, & æthereas victor conſcendit ad arces.
Turba Deùm tunc luſus erat, tunc Iupiter Orbi
Numen inane fuit, pueriſque irriſa poteſtas.
Senſerat hoc imis, fruſtra doluitque medullis
Imperium cui triſte Erebi, bis, terque momordit
Curuatam, ſæuit qua parte in verbera caudam.
Hunc dictis lenire parat, ſæuumque dolorem
Cœca ſuperſtitio (ſedes cui prima ſub Orco)
Mærenti aſſurgens blando ſermone leuabat:
Quid fruſtra tacito conturbas vulnere mentem?
Quæue tuos operit nubes denſiſſima vultus?
Nulla ne ſpes ſupereſt? noſtris diffidere rebus

Cogi-

Cogimur, & nullam fas eſt ſperare ſalutem?
Crede mihi, ſpes magna manet, nec Fata minantur
Interea noſtris extrema pericula rebus.
Vicit, iam vicit, quantum pudet ore fateri,
Relligio vna Deos omnes, victoſque ſub Orcum
Æterna, Stygijs, damnauit lege caminis.
Integra ſed nondum retulit victoria palmam;
Nec dum ſubiecto penitus deceſſimus Orbe;
Reſtat adhuc, reſtat noſtri pars maxima Regni,
Noſtraque marmoreis ſeruanrur Numina Templis.
Roma potens qua parte iugum conſurgit in altum
EXQVILIVS Collis, noſtrum fidiſſima cultum
Seruat adhuc, adoletque ſacris altaria Templis.
Hìc Arx noſtra manet, noſtri munimina Regni
Hìc etiam Domi na rerum ſeruantur in Vrbe:
Hinc Cœlum petere, hinc Numen conſurgere in ipſum
Fas erit, atque iterùm noſtris conſidere Regnis.
Excepit plauſu, mentemque aduertere Rector
Infelix Erebi, viſuſque aſſurgere dictis.
Iam ſpes certa manet, partam iam corde volutat
In Superos palmam, ſolitoque ſuperbior aſtu
Numinibus Stygijs priſcos gratatur honores.
Non latuit (quid enim potuit latuiſſe Tonantem?)
Improba Tartarei ſpes iam concepta Tyranni,
Agnouit faſtus, auſuſque eluſit inanes.
Tunc ſic alloquitur magnam placido ore Parentem:
Alma Parens, iucunda Parens, cariſſima ſemper
Adſpice, vt inſultet Rector truculentus Auerni,
Et quos concipiat tumefacta mente furores;
In nos bella parat; Sedes fortiſſima belli

EX-

EXQVILIIS ſtat firma iugis, Arcemque locauit.
Hunc ego vel nutu quamuis ſub Tartara pulſum
Æternis valeam miſerum religare catenis;
EXQVILIASque Arces, & cætera Fana Deorum
Fulmine contorto ſubuertere prorſus ab imo,
Te tamen hæc ſpectat, Tibi debita palma Triumphi,
Hoſtis, & antiqui, Tua ſit victoria Ditis.
Scis equidem primis quibus Hic natalibus auſus
Te petere inſidijs, primi cum fraude Parentis
Commaculare tuos tentauit ſordibus Ortus.
Ergo age, comunes vlciſcere protinus hoſtes
Exige iam meritas pœnas, vetereſque repoſce
Offenſas. Tibi ſumma datur, Tibi Diua Poteſtas.
Dixerat: illa animo iam iam conceperat iras,
Atque altum meditatur opus, quod Virgine dignum
Æternum ſtupeant ventura in ſæcula Gentes.
Nox erat, & flammis ardebant cuncta Leonis
Æſtiui, & totis languebant gramina campis.
Præcipuè EXQVILIVS ſurgit quà vertice Collis
Æſtuat igne ſolum: flammis adiungere flammas
Monſtra inferna ſtudent, quę proxima Templa tenebant.
Hìc grauidis ſubitò denſatur nubibus æther.
Ignibus & medijs gelidus conſurgit Orion.
Ecce leuis Boreas (nequicquam obſtantibus Auſtris)
EXQVILIVM leni perflabat turbine Cœlum.
Nec mora, ceu gelidis glacialis bruma ſub Vrſis,
Aſſiduæ cecidère NIVES, glomeratque per auras,
Vellera caſta manu quatiens candentia VIRGO.
Iam latet EXQVILIVS vertex, iamque æmula lactis
In tenues conuerſa NIVES iuga candida Montis
Proſpi-

Proſpicere, & circum gelidos volitare vapores:
Conuerſas ſtupuere vices NIVIS atque caloris
Prodigijſque nouis animis hæſere Quirites.
Accurrit Plebs læta ſimul, ſimul agmine facto
Temperat æſtiuos NIVIBVS recreata vapores.
Hinc animis afflante Deo, iam cuique pateſcit
Numinis indicium: quidue hæc portenta ſequatur.
Ergo alacres properant quò proxima Fana Deorum
Romulidæ Agminibus denſis, Plutonis & arces
In Superos quibus ille ferox iam bella parabat
Feſtinant æquare ſolò, Deus arma miniſtrat;
Spiritus intus agit, vires & viribus addit.
Non bene conueniunt NIVIBVS cæleſtibus ignes
Tartarei, cuncti exclamant: manibuſque repente
Diripiunt Aras, muroſque, & tecta refringunt.
Hinc vbi candenti diffundit margine ripas
EXQVILLINVS Apex meliori Marmore Templum
Attollit NIVIBVS MARIAE; pulſiſque profanis
Numinibus, puræ ſacrantur VIRGINIS AEDES.

LAVS DEO.

ROMA VITTORIO EMANUELE